

**EXTRACTS FROM CICERO,  
NARRATIVE AND  
DESCRIPTIVE WITH ENGLISH  
NOTES, PART II, PP. 107-198**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649460984

Extracts from Cicero, Narrative and Descriptive with English Notes, Part II, pp. 107-198 by  
Marcus Tullius Cicero & Henry Walford

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**MARCUS TULLIUS CICERO & HENRY WALFORD**

**EXTRACTS FROM CICERO,  
NARRATIVE AND  
DESCRIPTIVE WITH ENGLISH  
NOTES, PART II, PP. 107-198**



Clarendon Press Series

EXTRACTS FROM CICERO

*NARRATIVE AND DESCRIPTIVE*

WITH ENGLISH NOTES

BY

HENRY WALFORD, M.A.

*Wadham College, Oxford*

*Assistant Master in Haileybury College*

PART II

*OMENS AND DREAMS. BEAUTIES OF NATURE.*

Oxford

AT THE CLARENDON PRESS

M DCCC LXIX

[*All rights reserved*]



SECTION III.

STORIES CONNECTED WITH OMENS  
AND DREAMS.

1

2

3

4

5

6

7

## SECTION III.

### STORIES CONNECTED WITH OMENS AND DREAMS.

#### CHAP. I.

1. **PRAESSENTIAM** saepe divi suam declarant: ut et apud Regillum bello Latinorum, quum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano praelio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt, et recentiore  
5 memoria iidem Tyndaridae Persen victum nuntiaverunt. P. enim Vatinius, avus huius adolescentis, quum e praefectura Reatina Romam venienti noctu dño juvenes cum equis albis dixissent, regem Persen illo die captum, senatuique nuntia-  
visset: primo, quasi temere de republica locutus, in carcerem  
10 coniectus est; post, a Paulo litteris allatis, quum idem dies constitisset, et agro a senatu et vacatione donatus est. Atque etiam quum ad fluvium Sagram Crotoniatis Locri maximo praelio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiae memoriae proditum est. Saepe Faunorum  
15 voces exauditae, saepe visae formae deorum quemvis non aut hebetem aut impium deos praesentes esse confiteri coegerunt.

2. Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae futura sunt,  
20 ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta,



monstra, portenta, prodigia dicuntur. Quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiarum, Calchantem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae ascivissent, si res omnino repudiaret: ne domesticis quidem exemplis docti numen deorum comprobabimus? 25  
 Nihil nos P. Claudii bello Punico primo temeritas movebit, qui etiam per iocum deos irridens, quum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent? Qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. 30

3. Quid? collega eius Iunius eodem bello nonne tempestate classem amisit, quum auspiciis non paruisset? Itaque Claudius a populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse conscivit. C. Flaminium Caelius religione neglecta cecidisse apud Thrasimenum scribit cum magno reipublicae vulnere. 35  
 Quorum exitio intelligi potest, eorum imperiis rempublicam amplificatam, qui religionibus paruisset. Et, si conferre volumus nostra cum externis; ceteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur, religione, id est cultu deorum, multo superiores. An Attii Navii lituus ille, quo ad investi- 40  
 gandum suem regiones vineae terminavit, contemaendus est? Crederem, nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. Sed negligentia nobilitatis augurii disciplina omissa, veritas auspiciorum sprete est, species tantum retenta. Itaque maximae reipublicae partes, in his bella, quibus reipublicae 45  
 salus continetur, nullis auspiciis administrantur; nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus; nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt. Tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, quum auspicia posuerunt.

4. At vero apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam 50  
 imperatores etiam seipsos diis immortalibus capite velato verbis certis pro republica devoverent. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmentur, quae dubia nemini

55 debent esse. Atqui et nostrorum augurum et Etruscorum  
 haruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo consulibus  
 res ipsa probavit: quos quum Ti. Gracchus, consul iterum,  
 crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repente  
 mortuus. Gracchus quum comitia nihilominus peregisset,  
 60 remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad sena-  
 tum retulit. Senatus, quos ad soleret, referendum censuit.  
 Haruspices introducti responderunt non fuisse iustum comi-  
 tiorum rogatorem. Tum Gracchus, ut e patre audiebam,  
 incensus ira, Itane vero? ego non iustus, qui et consul rogavi  
 65 et augur et auspicato? an vos, Tusci ac barbari, auspiciorum  
 populi Romani ius tenetis et interpretes esse comitorum  
 potestis? Itaque tum illos exire iussit. Post autem ex pro-  
 vincia litteras ad collegium misit, se, quum legeret libros, re-  
 cordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse, hortos  
 70 Scipionis, quod, quum pomerium postea intrasset habendi  
 senatus causa, in redeundo, quum idem pomerium transiret,  
 auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos consules esse.  
 Augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent consules:  
 abdicaverunt. Quae quaerimus exempla maiora? Vir sapi-  
 75 entissimus atque haud scio an omnium praestantissimus  
 peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam  
 haerere in republica religionem: consules summum impe-  
 rium statim deponere, quam id tenere punctum temporis  
 contra religionem.

## CHAP. II.

I. Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae  
 disputavi, verissima? Si ratio mecum facit, si eventa, si  
 populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam  
 nostri, si denique hoc semper ita putatum est? Si summi  
 5 philosophi, si poetae, si sapientissimi viri, qui respublicas

constituerunt, qui urbes condiderunt? an, dum bestiae loquantur, exspectamus; hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?

Nec vero quidquam aliud affertur, cur ea, quae dico, divi-  
nandi genera nulla sint, nisi quod difficile dictu videtur, 10  
quae cuiusque divinationis ratio, quae causa sit. Quid enim  
habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis di-  
rimat tempus et proferat diem? quid augur, cur a dextra  
corvus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus, cur  
stella Iovis aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus pue- 15  
rorum salutaris sit, Saturni Martisque contraria? cur autem  
deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? Quid  
deinde causae est, cur Cassandra furens futura prospiciat,  
Priamus sapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quid-  
que, quaeris? Recte omnino. Sed non nunc id agitur. Fiat, 20  
necne fiat, id quaeritur. Ut si magnetem lapidem esse dicam,  
qui ferrum ad se alliciat et attrahat; rationem, cur id fiat,  
afferre nequeam: fieri omnino neget? Quod idem facis in  
divinatione: quam et cernimus ipsi, et audimus, et legimus et  
a patribus accepimus: neque ante philosophiam patefactam, 25  
quae nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit:  
et postea quam philosophia processit, nemo aliter philoso-  
phus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora,  
de Democrito, de Socrate: excepi de antiquis praeter Xeno-  
phanem neminem: adiunxi veterem Academiam, Peripa- 30  
teticos, Stoicos. Unus dissentit Epicurus. Quid vero? hoc  
turpius, quam quod idem nullam sensit gratuitam esse  
virtutem?

2. Quis est autem, quem non moveat clarissimis monu-  
mentis testata consignataque antiquitas? Calchanthem augu- 35  
rem scribit Homerus longe optimum, eumque ducem classis  
fuisse ad Ilium, auspiorum credo scientia, non locorum.  
Amphilochus et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed iidem  
augures: iique urbes in ora maritima Ciliciae Graecas con-